DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

EPILEPSIA.

AUCTORE DANIELE REID.

Hujus morbi ab auctoribus diversis variae definitiones sunt traditae. Sed illa Doctore Culleno celeberrimo prolata, nimirum, " Convulsio musculorum cum sopore," caeteris mihi praestare videtur. In nullo morbo definitio omnium symptomatum conspectorum quam supra dicta, utcunque brevis, melius reddere potest. Oculorum rotatio, fumatio oris, stridor dentium, cum semine et urina saltim emissis, symptomata ex musculorum vel fibrae musculosae partis affectae convulsionibus oriri, ostendunt.

DE HISTORIA ET SIGNIS.

Omnium morborum qui corpus humanum invadunt, nullus quam ille de quo agitur, infelicibus eidem proclivibus magis est molestus : nullus plus terroris adstantibus infert, pauci medicinae viribus minus cedunt. Epilepsia plerisque auctoribus Graecis et Romanis, et plurimis recentioribus praeclaris descripta est, causa tamen proxima adhuc latet. Religione falsa valente, origo morbi multis causis, ut irae Deorum, invidiae daemonum et arti magicae, relata est : hinc nomina plurima, ut Morbus Sacer, Herculeus, Comitialis, Caducus, &c. et Epilepsia (ex επιλαμβανω, *corripio*), ei imposita sunt. Quaedam ex his notionibus in insulis Orcadibus, ubi morbus maxime saevit, adhuc suscipiuntur. Incolis contra eum plurima sunt specifica, quorum unum hìc exponam :—Si cui infelicitas sit hoc morbo corripi, ossa avi vel proavi ad albedinem in igne comburuntur et in pulverem tenuem reducuntur, cujus cum butyro condito mixti cochleare magnum aeger quoque mane devorat. Multos, qui se sic penitus sanatos fuisse dixerunt, mihi videre contigit.—Annon remedium supradictum, animum terrore et sensus fastidio afficiendo, ageret ?

Morbus paroxysmis plerumque invadit, et spatio temporis quo durant hi valde diversi sunt. E sexta ad tertiam partem horae saepe perstant. Pueri et juvenes quam puellae et aetate provectiores ei magis sunt proclives, et impetus noctu quam interdiu saepius fit ; cui sensus languoris et lassitudinis mane accedit. Paroxysmi Epilepsiae alias sunt subiti, alias quaedam symptomata, quibus de morbo appropinquante simus certiores, praegrediuntur. Illos valetudine secunda, ut videretur, gaudentes invadit ; aliquamdiu perstat, abit, aegrosque valetudine solita relinquit. Hic morbus consilio stipem extorquendi aut misericordiam excitandi saepe adumbratur, quo facto Epilepsia ficta nominatur.

Signa praegressa sunt : dolor capitis, pallor faciei, vertigo, languor, vires imminutae, scintillae prae oculis micantes, tinnitus aurium, palpitatio, somnus inquietus, et sensus molesti odoresque injucundi memorati sunt ; mens saepe afficitur, ventriculus tumet, respiratio difficilis et interrupta est, abdomen dolet; urina limpida est, extremitates sunt frigidae, venae cervicis tument, et arteriae temporales praeter solitum moventur. Sed inter haec indicium maxime insigne ab auctoribus fere omnibus descriptum aura est epileptica. Haec sensus

est ab extremitatibus oriens et ad caput paulatim ascendens, atque aeger paroxysmo statim corripitur. Idem ab aegris diversis varie describitur, quibusdam id vapori frigido vel sensui formicationis ex parte affecta comparantibus. Auctores hunc sensum ad quamdam irritationem extremitatis vel puncti nervi referendo consentiunt. Culleno nervum affici quadam materia irritante, et sursum igitur cursum nervi hujusmodi sequi, visum est, quamvis eundem accurate servare cursum alicujus nervi, sed per integumenta plerumque transire, non observare liceat.

Paroxysmo imminente aeger omni sensu et motu expers, et convulsionibus vehementibus, contractione et relaxatione occipito-frontalis et musculorum faciei agitatus, ad terram decidit. Vultus aspectum horrendum induit; oculi adeo torquentur, vel invertuntur, ut pars albida eorum tantum videtur; labia convelluntur, et saliva fumante obducuntur. Haec ex salivae secretione aucta in os emissae actionibus convulsivis musculorum faciei, et aëre ex pulmonibus expulso atque cum illa misto oritur. Lingua ex ore emittitur, et contractione spasmodica musculorum maxillae inferioris saepe vulneratur.

Caput musculis cervicis multimodis agitatur. Truncus et extremitates modo simili afficiuntur,

et aliud latus quam alterum magis afficitur. Digiti arcte clauduntur, urina saepe expellitur, semen emittitur, et faeces, aegro inconscio, elabuntur ; et exempla sunt in quibus contenta uteri gravidi inter impetum, fibris uterinis per consensum affectis, expulsa sunt ; bilis nonnunquam evomitur, et sudor profusus per totum corpus erumpit. Pulsus celer et debilis est, postea fit plenior, quia tunica musculosa arteriarum et cordis convulsionibus pariter cietur ; respiratio difficilis est, et stertore perficitur.

Signa supra tradita serius ociusve mitiora evadunt ; aeger aliquamdiu sine sensu et comate correptus jacens, interdum subito, sed plerumque paulatim sensum et motum priorem recuperat, languore et lassitudine tantum perstantibus, sed sine memoria vel minima rerum praeteritarum ex tempore quo primum paroxysmo laboravit, relicta.

Epilepsia modis diversis finitur, nonnunquam apoplexia, affectibus paralyticis vel mentis alienatione, ut judicii, memoriae et imaginationis jactura, adeo ut amentiam et mortem subitam inferat, actione convulsiva tunicae musculosae bronchiarum et musculorum respirationi inservientium aegrum strangulando, vel actione aucta cordis et arteriarum

tantum sanguinis ad caput mittente quantum vasa sanguinea rumpat, et apoplexiam lethalem inferat; et raro sanitati cedit.

SECTIO CADAVERUM.

Indicia morbida in cadaveribus pereuntium Epilepsia conspecta sunt diversa. Multa rationem medendi illustrant, aliaque morbum ultra artem positum demonstrant, plerisque partibus corporis, ut cerebro ejusque membranis, corde, pulmonibus, jecore, ventriculo et intestinis, in conditione morbida detectis. In aliis nihil morbosi in istis partibus conspici potest. Indicia morbida intra cranium observata, sunt sèri et sanguinis effusiones, quae in partibus diversis capitis, in sinibus et substantia cerebri, et intra ejus membranas videntur, turgescentia vasorum cerebri et cerebelli sine effusione, partium quarundum dilatatio et ulceratio; in aliis exostosis, polypi et hydatides, membranarum ejus ossificatio, ossis portiones depressae, &c. et singulae partes vicissim plus minusve vitiatae repertae sunt. Cerebrum et cerebellum dura et mollia inventa sunt, laesiones a vulneribus illatis, vitia plexus Choroidei, Corporum striatorum, thalamorum opti-

corum, Glandulae pinealis, Glandulae pituitariae, medullae spinalis, conspecta sunt. Vermes, omnibus auctoribus testantibus, in ventriculo et intestinis subinde observantur. De morbis aliorum viscerum organicis necne hic morbus quodammodo pendet, fortasse non pariter constat.

DE DIVISIONIBUS MORBI.

Cullenus celeberrimus Epilepsiam in tres species dividit, eamque ad classem Neuroses, et ordinem Spasmos Nosologiae suae retulit.

Species prima est "Epilepsia cerebralis, sine "causa manifesta, subito adoriens; praegressa nullâ sensatione molestâ, nisi fortassis vertiginis vel "scotomiae alicujus."

2do. "Sympathica, sine causa manifesta; sed "praegressa sensatione aurae cujusdam a parte corporis quodam versus caput assurgentis."

3tio. "Occasionalis, ab irritatione manifesta oriens, et ablatâ irritatione cessans."

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Causae excitantes hujus morbi in Occasionales et Remotas a Culleno dividuntur. Occasionales illas quae cerebrum ipsum proxime afficiunt, et illas quae ex quadam alia parte oriantur et ad cerebrum tendant, complectuntur: hinc divisio Epilepsiae in Idiopathicam et Symptomaticam, illa tres species supra dictas includit, et haec aliis morbis nititur.

Causae occasionales quae cerebrum proxime afficiunt ad quatuor capita referantur:

1mo, Stimulantia mechanica; 2do, Chemica; 3tio, Mentem afficientia; et 4to, E distentione nimia orientia.

1mo. Stimuli mechanici sunt structura prava cranii, tumores, et ossa depressa, hydatides, vasorum cerebri congestiones, vulnera cerebri et membranarum, conversio in os, aqua in cavis effusa. Stimuli mechanici comprimendo suum edunt effectum, et eosdem vel Epilepsiam vel Apoplexiam, pressuram augendo aut minuendo, inferre posse, quibusdam persuadetur.

2do. Stimuli chemici sint fluida, ex suppuratione

cerebri et ejusque membranarum, humoribus effusis stagnantibus, et resolutis, orientia. Stimuli mentales omnia sunt quae mentem subito et vehementer afficiunt, ut affectus deprimentes, nempe terror, metus vel luctus; aut excitantes, ut gaudium nimium et similia, quorum multa exempla ab auctoribus proferuntur, sed multum ad illud principium insigne generi humano proprium imitationis et recordationem accessionum priorum, tribui potest. Epilepsiam imitatam consuetudine confirmatam fieri, auctores affirmant.

4to. Quod ad stimulum peculiarem distensionis nimiae pertinet, plethoram, impetum nimium sanguinis in vasa cerebri, ardores solis, exercitationem vehementem, inebrietatem, dentitionem in infantibus, vermes, acorem, intestinorum acrimoniam, calculum renum, variolam, exinanitiones suppressas, aliasque per irritationem agere Doctori Cullen visum est. Quasdam vires esse collapsus, quae Epilepsiam inferre possint, quoque existimat. Ad hoc caput sanguinis profluvia et quaedam venena narcotica referuntur. Venus nimia aliquando paroxysmum inter coitum excitat, et impotentia* plerumque sequitur.

---

* Vide Paris de Impotentia.

DE CAUSA PROXIMA.

Causa proxima hujus morbi in summa caligine latet. Quia cadaveribus sectis, saepe vitia plurima organica diversissima, aliquando nihil praeter solitum, detegimus, et plenitudine et exinanitione vasorum sanguineorum cerebri haud raro inducitur. De conditione mechanica cerebri parum constat, exercitatio igitur voluntatis a nobis vix melius intelligetur. De hac re Cullenus sequentia habet.

"It is an affection of the energy of the brain, "which ordinarily under the direction of the will "is here, without any concurrence of it impelled by "preternatural causes."

Aliis eam ad vim planetarum referre placuit, et multi paroxysmos quodam in modo luna pendere sibi habent persuasum. Qui in literis sacris utpote Daemone occupati perhibentur, pro Epilepticis a plurimis existimantur.

DE CAUSIS PRAEDISPONENTIBUS.

Quia multi plurimis causarum excitantium supra dictarum simul subjiciuntur, rebus se modo simili habentibus, tamen hoc malo minime afficiuntur; inter plerosque igitur convenit aliquid ad hunc morbum proclivitatem praebere, et eadem quaedam esse mobilitas cerebri et nervorum a Culleno existimatur. Si aliquis spe facile elevatur, et pariter metu deprimitur, et ex illo in hunc subito transit, si voluptate et gaudio levibus causis afficitur, et ira atque morositas similiter ei moventur, si ex causis levibus ad motus validos sit proclivis, sed nullorum tenax: hoc temperamentum est puerile, "qui colligit ac ponit iram temerè et "mutatur in horas, hoc est varium et mutabile "mulier."

Si verum est quod mulieres et pueri morbo sint procliviores, hunc e mobilitate pendere oportet, de contrario quibusdam persuadetur. Debilitas causa est altera, sensibilitatem enim corporis infert. Plethora et temperamentum sanguineum quoque inter causas praedisponentes diu recensita sunt. Multi opinioni favent, somnum quodammodo Epilepsia consensum habere, quia plurimi aegri

morbo inter somnum corripiuntur, et ille ex statu corporis, hoc durante, pendere videtur. Proclivitas ad Epilepsiam saepe est haereditaria, quia plurimi ex eadem familia saepe afficiuntur. Qui de morbis mulierum scripserunt, illum de quo agitur utero gravido et partu saepe ortum esse affirmant.

DE DIAGNOSI.

Epilepsia cum hysteria, apoplexia, convulsionibus, et epilepsia ficta confundi potest. In Epilepsia omnis sensus per aliquod tempus, ut in morte, deficit, sed in hysteria memoria et sensus perstant. In illa immobilis, et in hac mobilis est pupilla. In Epilepsia aura epileptica plerumque, in hysteria nunquam adest. In hysteria globus hystericus persaepe, in Epilepsia nunquam, observatur. Habitus, sexus, metus mortis ; urinae limpidae profluvium inter accessionem, paroxysmi alternantes, risus et fletus in hysteria, ad diagnosin inter hanc et Epilepsiam statuendam sufficiunt. Ex apoplexia dignoscitur, quia in Epilepsia nervi distenduntur (id est, musculorum convulsio), sed in apoplexia minuuntur., Si convulsio, quod haud rarum est,

apoplexiae accedat, unum latus tantum afficet, alterumque paralysi corripitur, sed in Epilepsia convulsiones sunt generales. A convulsionibus, quia in his sopor aliaque signa Epilepsiae non adsunt.

Epilepsia simulata pupillis luce admota se contrahentibus, saliendo aqua frigida, &c. corpore immissa et naribus stimulantibus admotis, quod aliter fit in vera, dignoscitur. In hac manus arcte contrahuntur, et si retrahuntur statim se contrahunt, sed in ficta aeger plerumque eas retrahere non audet.

DE PROGNOSI.

Prognosis hujus morbi quod ad vitam aegri plerumque fausta est, sed quod ad valetudinem pertinet, infausta. Cum ex fabrica prava capitis vel causis mechanicis prementibus, vel labe haereditaria pendet, aut si diu perstiterit, cum aetate provectiore accedit, hoc facto ex quodam vitio organico plerumque pendere existimatur; cum paroxysmi sunt frequentes et vehementes, cum vires corporis et animi minutae sunt, prognosis est valde infausta, et vix aliquid spei relinquitur. Sed cum ante pubertatem accedit, quorundam aliorum mor-

borum ut vermium intestinorum, irritationum omnium generum, vel febris intermittentis aliarumve, symptomatica est, his sublatis et accessionibus non adeo frequentibus et vehementibus, prognosis faustior esse existimetur. Morbum in puellis ante pubertatem accidentem mensibus prorumpentibus; utero gravido et connubio, finitum esse fertur.

DE RATIONE MEDENDI.

Primum consilium medendi est ne aeger se aliosque inter paroxysmum laedat praecavere. Secundo, tollere causas remotas et per intervallum illa remedia quae tollendo vel prohibendo ne accessiones sint frequentiores, maxime profuisse reperta sunt, exhibere.

1mo. Cum aeger primum correptus est ad locum tutum removendus est, motus vehementes quam maxime fieri potest, sunt temperandi; caput nonnihil elevari debet; prae omnibus, quia lingua saepe laeditur, suber, aliave substantia mollis, inter dentes ejus ponendum est; et stimulantia spinae sunt admovenda. Post paroxysmum, si ingens debilitas urget, medicamentum cardiacum cum

commodo exhibeatur. Omnes ligaturae et vestimenta arcta sunt tollenda, cum aeger paroxysmum accedentem percipit. Sanguinis missio generalis et specialis utpote quae morbum arceat, aliis emetica, aliisque tinctura opii cum emulsione camphorata, eodem consilio, praecepta sunt. Cum aura epileptica in extremitatibus suboritur, progressui ejus pressuram supra partem applicando saepe obstari potest.* Hoc consilio impetum prohibendi semper debet fieri, quo facto, aeger eidem minus fit proclivis, nervusque auram ad cerebrum propagare minus habilis redditur, pars unde aura oritur, ferro candente, si potest fieri, delenda est. Si hoc non placet, emplastra vesicatoria ad partem applicanda sunt, vel fonticulus ibi instituendus. Cum morbus symptomaticus est, ad causas excitantes attentio nostra dirigenda est, si morbus dentitionem pro causa sua agnoscit, gingivae caute sunt inspiciendae. Si irritationem aliquam ventriculi vel venena, emetica et purgantia; si vermes intestinorum, anthelmintica, si eruptiones retropulsas, visicatoria, fonticuli, et unguenta irri-

---

* Hoc veteribus et Galeno notum fuit. "Εν τῳ μεταξυ δησαντες τον κωλον ανωτερῳ τῳ πρωτοπαθουντος χοριου."

tantia laudata sunt. Si vitia organica cerebri ejusque membranarum, quia pressura mechanica agunt affectus fere exspes est; sed vesicatoria, fonticuli, elevatio ossium calvariae in usum veniant.

In curatione Epilepsiae Idiopathicae indicationes sequentes attentionem sibi vindicant: primo, plethoram et debilitatem tollere, et secundo, causas occasionales evitare. Plethora ope purgantium victusque idonei summoveri debet; diaetam oportet esse levem, siccam, et parum nutrientem, e lacte frugibusque conflatam, cum exercitatione idonea usurpata. Procul dubio, plethora venaesectione cum generali tum speciali efficacissime debellanda est. Non semper nihilominus convenit, quia plenitudinem corporis augeat, sed siquando morbus ex impetu cerebrum versus vasisque turgidis pendere videtur, maxime prodesse apparet. Cathartica leniora quantitatem sanguinis caput versus minuendo utilia sunt, alii purgantia validiora laudant, aliique vituperant; vesicatoria, fonticuli et setacea ex opinione humorem ex his effusum conditioni plenae corporis obstare laudata sunt. Ferrum candens ad partem posteriorem capitis Celsus admovit. Cum morbo accedunt exinanitiones suppressae, eaedem remediis ab auctoribus praescriptis sunt restituendae, ut caput aqua frigida ablueretur praeceptum est.

Digitalis minuendo impetum sanguinis caput versus prosit.

Cum morbus debilitate niti apparet, curatio diversa usurpari debet. Vires aegri non sunt minuendae, hae contra tonicis, astringentibus, et antispasmodicis sunt confirmandae. Tonica quae in usum veniunt, diaeta sunt lauta, et nutriens, exercitatio sub dio, aegre habitui et viribus accommodata, balneum frigidum, aër frigidus: metum et horrorem ad hoc genus Cullenus retulit. Ex regno vegetabili desumuntur cortices et amara, quae, morbo temporibus fixis, sine plethora redeunte, in magna copia ante paroxysmum sumpta, longe praestare videntur.

Tonica a regno metallico praebita in usum frequentissime venerunt. Horum praecipua sunt praeparationes ferri, plumbi. Cupri praeparata sunt, cuprum ammoniatum Pharmacopeiae Edinensis, et sulphas cupri, dosibus parvis paulatim augendis exhibitis. Pulvis stanni, oxidum et sulphas zinci in hoc morbo laudibus elata sunt. Nitras argenti cum commodo in Epilepsia diu perstante et aliis remediis frustra sumptis, nuper saepe praeceptus est : sub forma pilularum cum micis panis vel solutionis cum aqua menthae exhibetur. Hoc medicamento diu usurpato cutis aegri colorem cae-

ruleum induit.* Omnia haec medicamina, abrumpendo propensiorem ad motum nervorum abnormem, et igitur reditu paroxysmorum obstando agere apparent. Inter astringentia vegetabilia viscus quercinus, aliis testantibus, primum locum occupat, aliis contra eundem superstitione elatum putantibus.

Remedia antispasmodica celeberrima sunt valeriana, quae diu laudibus elata est, et a nonnullis pro specifica habita. Sed in desuetudinem non tantum in hoc morbo, sed in aliis affectibus nervosis hodie decidere videtur. Moschus purus et copia idonea porrectus, oleumque animale a Culleno utpote remedia efficacia existimantur.

---

* Color niger cutis ex sulphureto argenti, quod hunc colorem reti mucoso impertit, pendere videtur. Hoc experimentum sequens confirmare apparet: sumat aeger doses aliquot nitratis argenti, postea dosin sulphuris et intra horas sex cutis colore nigro inficietur. Inter medicamentum prius igitur usurpandum omnia quibus inest sulphur sunt evitanda. Aliis nigritiem ex muriate argenti formato mutationem solitam actione lucis subeunte, aliisque ex oxydo pendere, persuadetur. Color niger actione emplastri vesicatorii tollitur, cute nova colorem solitum exhibente, quod cutem labem accipere quosdam credere induxit. Ad hunc summovendum Dr. Hamilton, junior, curriculum supertartratis potassae praecipit.

Camphora, assafoetida, castoreum, aether, et multa alia ad hanc classem pertinentia, fautores suos pariter ac detrectatores habuerunt. Phosphorus, oleum terebinthinae, tinctura cantharidum, et multa alia eandem sortem experta sunt. Opium, morbo ex irritatione vel irritabilitate aucta nitente, remedium efficacissimum verisimiliter evasurum est. Hyoscyamus modo simile agere videtur. Antispasmodica cum accessiones sunt frequentes et protinus ante impetum usurpata, utilissima reperiuntur.

Galvanismus hoc principio, quod morbus ex fluido electrico in cerebro collecto constat, praescriptus est.

Si remedia supra memorata nihil valeant, ut modus vivendi, diaeta et coelum mutentur, navigatio quoque et longa itinera suscipiantur, quibus emensis, curationes plurimae ab auctoribus proferuntur, jubendum est.

FINIS.

Excudebat Duncanus Stevenson,
Academiæ Edinensis Typographus.